Quaestio medica Quodlibetariis Disputationibus agitanda In Scholis Medic. die Jovis 3a Decemb.

D. Joanne huguet D. medico, Moderatore Sapientissimo. 99

An Epilepsia In omni aetate Curabilis?

Cerebrum ex solo semine ortum, hepate cordeque posterius, humanae mentis domicilium, sensu nullo praeditum, motus sensusque per nervos principium est. hoc etiam multiplici animae actioni inservit, ita admirabilem fabricam sortitum variis symptomatis affligitur: quorum alia membranas obsident, ut cephalalgia, cephalea, hemicrania, quae etiam extra calvariam est. Alia in cerebri substantia consistunt, ut phrenitis, quae cum febre non mitigatur, delirium mitigatum, melancholia, a qua non fit epilepsia, lycanthropia, mania, sine febre, stultitia, amentia, veternus, catochus, lethargus, frigida multaque humiditate sopores inducentes; alia in ventriculis cerebri et his ductibus per quos animalis spiritus ad sensus motusque organa distribuitur, ut apoplexia, a simili frigore et calido humore interdum nata, vertigo a spiritu calido vel cerebri intemperie, incubus, paralysis, qua altera parte incolumi, altera solum sensu afficitur, et sensu amisso saepe servatur motus et epilepsia.

Epilepsia est omnium partium corporis non perpetua, ut in vera convulsione, eiusque partibus, quae febre superveniente solvuntur, sed ex temporum intervallis cum motibus et sensuum oblaesione, omniumque principum functionum detrimento, convulsio. haec affectus est acutus, sine febre, a qua tamen si superveniat diuturna, et ea maxime quartana, discutitur: non omnium ut syncope, sed animalium tantum praecipue virium lapsus, pueris familiaris, symptoma non morbus ventriculos, cerebri, ut parte organica laborantes, medium aut posteriorem non anteriores (quorum affectione non fit etiam apoplexia) infestans, tum excitat, cum cerebrum [illegible] multitudine vel acrimonia materiam, a qua offenditur, reiicere consentiente voluntate nixum, tali motu convulsivo, quo omnes animalis functiones internae et externae sopitae iacent, subit concussum.

Epilepsia fit ab humore crasso et viscido cerebri ventriculos implente, et spiritum animalem impediente, aut a vapore ad cerebrum ascendente, eiusque membranas infestante. haec quamquam cerebri affectus est, non tamen semper ab eo, sed a ventriculo, interdum ab alia parte sui ortus causam initiumque ducit. quae ex primario cerebri affectu nascitur fit a crassis humoribus pituitosis aut melancholicis (hinc epileptici magna ex parte melancholici et contra) non ab intemperie, vel cerebrum non ut similaris substantia potest affici. quae a ventriculi, aut alterius partis affectu est, fit a vapore inde ad cerebri membranas, quas sua malignitate aut acrimonia infestat, ascendente, et constringente, ut in singultu a causa mordente cogitur ventriculus, non sine convulsione tamen, cum per eum ea etiam quae in orificio [illegible] insident exigere conatur, per vomitum vero, ea tantum quae ventriculi capacitate continentur.

Impetum motus convulsivi ut sibi sic solvi cito soliti antecedunt animi status minime arbitrarius, tristitia, (cuius cum frigidis calorisque intro concitis pulsus laetitiae contrarii, parvi, languidi, rari, et tardi), et oblivio, turbulenta insomniorum imagines, quibus corporis dispositio confici potest, capitis dolor, eiusque repletio, continua facies, ob iracundiam pallor, inordinatus linguae motus. [illegible] consequentia indicant praecipue in terram lapsus, convulsio, stertor, vocis interceptio, intellectus amissio, et oris spuma propria, spermatis, et urinae praeter voluntatem egestio. hic affectus ex longinquis venit, a repletione non a siccitate, est acutissimus, est periculosus, viros saepius, quam foeminas infestat, et quovis tempore sed magis vere (quo etiam periculosior est) et autumno, hyeme maxime. Solvitur aetatis ac temperamenti nisi sit inveteratus, mutatione.

Primae medendi ratio ~~medendi~~ in propellendo insultu epileptico, vinculis, frictionibus, enematis, ptarmicis, suffitibus, et cardiacis consistit. Altera [illegible] paroxismus providet, victu attenuante, et incidente, exercitatio, vigiliis vinique usu vitato, purgatione ex phlegmagogis potissimum, prius tamen humore praeparato, cuius venae sectio potest succedere, materia vero avertatur clysteribus, errhinis, apophlegmatismis, cucurbitulis, et cauteriis occipiti admovendis tandem [illegible], capitique robur conciliantibus incumbendum. quod si ventriculi, vel alterius partis impuritas hunc morbum invexerit, huic consulendum, malignoque vapori ab artubus elato, vinculis praecludendus aditus, pueri vero non parum iuvantur alexipharmacis, amuletis, alvumque mollientibus, si nutricibus certa vitae ratio praescribitur, aut catharticum exhibeatur.

Est Igitur Epilepsia in omni aetate curabilis

Ponebat Nicolaus Marchant Sagiensis. 1573.

Domini Doctores disputaturi.

M. Jacobus Marand. M. Joannes le Pescheur. M. Girardus Denisot
M. Petrus de la Mer. M. Ludovicus Thibault. M. Joannes le Gay.
M. Claudius Rebours M. Symeon de Malmedy Professor regius M. Christophorus Bauduin.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE